

PHAEDRUS - RANAE REGEM PETUNT

Athenae¹ cum florent aequis legibus,
procax libertas civitatem miscuit,
frenumque solvit pristinum licentia.
Hic conspiratis factionum partibus
arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Cum tristem servitutem flerent Attici,
non quia crudelis ille, sed quoniam grave
omne insuetis onus, et coepissent queri²,
Aesopus talem tum fabellam rettulit.
'Ranae, vagantes liberis paludibus,
clamore magno regem petiere³ ab Iove,
qui⁴ dissolutos mores vi compesceret.
Pater deorum risit atque illis dedit
parvum tigillum, missum quod subito vadi
motu sonoque terruit pavidum genus.
Hoc mersum limo cum iaceret diutius,
forte una tacite profert e stagno caput,
et explorato rege cunctas evocat.
Illae timore posito certatim adnatae,
lignumque supra turba petulans insilit.
Quod cum inquinassent omni contumelia,
alium rogantes regem misere ad Iovem,
inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
Tum misit illis hydram, qui dente aspero
corripere coepit singulas. Frustra necem
fugitant inertes; vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
adflctis ut succurrat. Tunc contra⁵ Tonans
"Quia noluitis vestrum ferre" inquit "bonum,
malum perferte". Vos quoque, o cives,' ait⁶
'hoc sustinete, maius⁷ ne veniat malum'.

¹ *Athenae* quamquam dicimus pluraliter, una civitas Graeca interpretatur. Ibi orti sunt Socrates, Plato, Euripides et magni alii auctores.

² deponens infinitivum (*queror, -i*).

³ *petiere* praeteritum perfectum est. Infinitivum autem si esset, "petere" diceremus.

⁴ *qui compesceret* interpretatur "ut is compesceret".

⁵ *contra* interpretatur "respondens". Ranae rogant auxilium. Iuppiter *contra* dicit: "quia... etc."

⁶ *ait* interpretatur "dixit".

⁷ *hoc sustinete, ne veniat maius malum*.